



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XVI. Solvuntur argumenta in contrarium adducta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

cum tamen actus ipse sit moralis respectu operantis, etiam illa relatio est moralis, & liberè facta ab operante, non quidem libertate distincta ab illa, quæ sit actus, sed eadem; nam eò ipso, quod liberè vult actum elicere, qui naturam suam tendit in Deum finem supernaturalem, vult etiam operari propter ipsum finem.

347. Quarta ab inductione, quia si quis puer baptifatus conservet iustitiam, & eliciat actum fidei, aut spei, aut obedientiam, aut religionis ante actum charitatis, ut potest, per tales actus merebitur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ. Similiter si quis cum sola attritione recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, & post gratiæ infusionem, in eadem attritione perseveret, quin eliciat actum charitatis, idem præmium, & eodem modo merebitur, ut est communis sententia Theologorum, quorum plures, etiam in instanti infusionis gratiæ, tribuunt huic attritioni meritum condignum, de quo suo loco; sed huiusmodi actus non habent hanc condignitatem ex relatione aliquâ charitatis, cum hanc antecedant, ut supponimus; ergo &c.

348. Confirmatur primò, quia Fides fertur in Deum, ut summè veracem; Spes, ut summè fruibilem; Obedientia, ut summum legislatorem; Religio, ut primum principium bonorum supernaturalium, cui supremus cultus, & adoratio debetur; sed non videtur credible, hos actus, qui sic immediatè feruntur in Deum sub aliqua speciali ipsius perfectione, & Atributo, indigere extrinseco imperio, aut relatione charitatis, ut sint condignè meritorii augmenti gratiæ, & gloriæ apud Deum, cum illi, & ab intrinseco sint supernaturales, & Deum attingant sub aliquo motivo supernaturali, sicque Deo sint grati & accepti; ergo &c.

349. Confirmatur secundò, quia actus naturales sunt meritorii præmii naturalis absque relatione extrinseca dilectionis naturalis Dei; ergo etiam tales erunt actus supernaturales præmii supernaturalis absque relatione dilectionis supernaturalis. Tertio, quia sequeretur: Primò plerique iustorum opera insignia carere mercede, & præmio, cum plerique fiant absque ulla relatione charitatis. Secundò, si homo ex amore erga fidem Christianam, aut castitatem eligeret potius mori, quam contra has virtutes peccare, non esse à Deo remunerandum, quo quid absurdius, cum sit contra communem Ecclesiæ sensum, & praxim, quæ tales homines ut Martyres veneratur, eorumque facinora prædicat æternam mercede digna. Tertio, retardari homines ab aliis actibus, quando non possunt habere actum charitatis; possent enim dicere: *Actus illi soli nihil valebunt; ergo præstat illos omittere*; hæc autem non sunt admittenda; ergo &c.

SECTIO XVI.

Solvuntur argumenta in contrarium adducta.

350.  PPOSITUM tenent D. Bonav. in 2. dist. 41. art. 1. q. 3. Scot. q. unica, ibid. Gabr. ibid. quest. unica, art. 3. dub. 2. Paludan. in 3. dist. 23. quest. 4. art. 3. Almain. in 3. dist. 18. part. 1. Aens. 4. part. quest. 101. memb. 3. art. 3. P. Valent. 1. 2. quest. 6. punct. 3. P. Bellarm. lib. 5. de iustificat. cap. 15. Adrian. quodlib. 10. art. 3. ad 4. P. Tanner. tomo 2. d. 6. de Grat. q. 6. dub. 4. num. 88. licet num. 78. contrariam sententiam dicat valdè probabilem, Favet etiam D. Thom.

1. 2. q. 114. art. 4. & ad 3. Pro quibus:

Argues 1. autoritate Scripturæ ubi pluribus in locis ponitur vita æterna additâ particula in dicante opera illius meritoria debere fieri ob amorem, sive charitatem Dei, ut Matt. 19. *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, &c. propter nomen meum. Et ad Galat. 5. In Christo JESU, neque circumcisio aliquid valet sed fides; quæ per charitatem operatur.* Et 1. Cor. 13. 3. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, nihil sum. nihil mihi prodest.* Et Matt. 5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, quasi insufficientis sit ad meritum dilectio proximi absque dilectione Dei.* Et Matth. 10. ut quis alium recipiendo mereatur vitam æternam, dicitur, debere eum recipere in nomine Prophetæ, discipuli, aut iusti, id est, propter Christum, cuius Prophetæ, & discipulus est. Et Joan. 15. & Trid. *sess. 6. cap. 16.* dicitur, ut mereamur, debere nos manere in Christo, & ab eo virtutem accipere, sicut palmas à vite; hoc autem fit per actum charitatis; ergo &c.

Respondeo primò, generaliter loquendo, in his, aliisque similibus testimoniis ad meritum vitæ æternæ requiri quidem charitatem, non ut imperet omnia opera condignè meritoria, sed aut quia requiritur habitus charitatis, prout supra diximus; aut quia requiritur absentia alicujus odii, vel motivi temporalis, & vani, quæ solet per charitatem explicari: aut quia requiritur actualis motio, & relatio virtutis infusæ promovens, & referens actum in Deum, quæ quidem motio, & relatio actualis virtutum infusarum reducit ad charitatem, aut quia cum illa habent connexionem; aut quia suapte naturâ Deum ut finem supernaturalem respiciunt, sicut illum respicit ipsa charitas, prout supra diximus.

Respondeo secundò, specialiter locum Matt. 19. solum concludere ad meritum vitæ æternæ non sufficere relinquere bona temporalia ob finem temporalem, sed opus esse finem honestum, qui pertineat ad pietatem Christianam. Ad secundum ad Galat. 5. dicimus solum probare, non valere opus, quod non sit iuxta leges charitatis; siquidem opus his legibus conforme, quale est opus cuiusque virtutis, licet non sit actus elicitus à charitate non incongruè opus charitatis dicitur, quia in actu exercito opus illius est iuxta illud 1. Joan. 3. *Diligamus opere & veritate.* Ad tertium 1. Cor. 13. dicimus, intelligendum esse de charitate actuali excludente finem temporalem, aut schismaticam, & mutua odia, contra quæ ibi agit D. Paul. Ad quartum Matth. 5. dicimus, Christum Dominum ibi persuadere non sufficere ad meritum diligere amicos ob finem temporalem; aut illos ita diligere, ut inimici odio habeantur. Ad quintum Matt. 10. dicimus, solum probare, deserentes parentes, aut suscipientes Prophetam, & discipulum Christi ob commoda temporalia, aut similem causam, non mereri apud Deum; maxime autem si opus habeat Deum pro objecto, aut fiat ex aliquo motivo supernaturali. Ad sextum Joan. 15. & Trid. cit. dicimus ibi solum affirmari, nos nihil mereri sine habitu charitatis, quo in Christo manemus, & nisi opera à Christo, ejusque gratiâ virtutem merendi accipiam, quod non soli actus charitatis, sed etiam aliarum virtutum habere possunt, ut diximus.

Argues 2. Ex Sanctis Patribus, D. Aug. tomo 3. de Spirit. & lit. cap. 14. ubi ait: *Non esse actum fructuosum, qui de radice charitatis non procedit.* Idem docet lib. de Grat. Christi cap. 18. lib. de Corrupt. & grat. cap. 2. & lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 17. Et D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 4. *Meritum vitæ æternæ, inquit, primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundariâ*

secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur. Idem dicit ibidem ad 3. & quest. 6. de Potent. art. 9. & q. 6. de Verit. art. 2. ad 9. & q. 26. art. 6. ad 8. & in 3. dist. 30. art. 3. ad 1. Accedunt Pius V. & Greg. XIII. damnantes hanc propositionem 14. Michaëlis Baii: *Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi*: Spiritus autem adoptionis filiorum Dei, in quo clamant Abba Pater, est charitas Dei infusa cordibus nostris; ergo &c.

355. Respondeo Sanctos Patres, præsertim D. Aug. & D. Thom. cit. intelligendos esse: Primò de charitate habituali. Secundò de charitate actuali, non quæ sit elicità ab habitu charitatis, sed quæ ad illum reducatur, quatenus omne opus meritorium procedit ex affectu supernaturali alicujus virtutis infusæ, quæ ad charitatem reducitur. Ad propositionem Michaëlis Baii dicimus, fuisse damnatam, quatenus asserbat ad Meritum condignum non requiri filiationem adoptivam Dei per gratiam justificantem tanquam partem constituentem meritum.

356. Argues 3. Meritum condignum vitæ æternæ fundatur in amicitia supernaturali inter hominem, & Deum, qualis est charitas, sive amor ipsius Dei; ergo ab ipsa charitate debet aliquo modo procedere. Respondeo hanc amicitiam consistere in radice charitatis, per quam reddimur divinæ consortes Naturæ, filii Dei, & capaces fundandi amorem amicitia, & ex hac gratia, sive amicitia procedere meritum condignum aut physice, aut moraliter.

357. Argues 4. Ad meritum condignum requiritur antecessio, & influxus gratiæ habitualis in opera meritoria; sed gratia habitualis non antecedit, neque influit immediatè in opera meritoria, sed medio actu charitatis; ergo &c. Respondeo datâ majori, quæ à pluribus Theologis negatur, negando minorem; potest enim gratia antecedere opera meritoria, mediâ relatione aliarum virtutum infusarum, quæ ad meritum de condigno necessaria est.

358. Argues 5. Actus meritorius debet esse obsequium relatum in Deum; sed non potest esse obsequium relatum in Deum absque actu charitatis illud referente; ergo &c. Respondeo negando minorem: Primò, quia opera virtutum referuntur in Deum habitualiter per habitum charitatis: aut se ipsis intrinsecè: aut extrinsecè per auxilium gratiæ, quo supernaturaliter fiunt, quod sufficit ad meritum condignum. Secundò, reverà esse obsequium Dei, etiam si cum fiunt, nulla sit memoria Dei; Deus enim, non solum ut privata persona, sed ut Princeps, ac Moderator universalis Reipublicæ rationalis, tenetur strenuè gesta in Rempublicam rationalem præmiis compensare.

359. Argues 6. Contraria sententia est saltem valdè utilis in praxi, & tutior; nostra autem minus tuta, & periculosa, siquidem ex nostra, si sit falsa, sequetur, hominem non imperando per charitatem actus infusos morales, amittere totum illorum præmium; cum bona fides ei suffragari non possit; ex contraria autem, si sit falsa, nullum incommodum patietur, neque enim amittet homo quidquam meriti, imò habebit duplex, unum ex imperio charitatis, & alterum ex ipsis actibus; ergo ne homo illi periculo exponatur, & hac utilitate, ac commodo privetur, tenetur sequi, & consulere opinionem contrariam.

360. Respondeo cum P. Arriaga tomo 5. d. 34. de Charit. sect. 4. num. 20. argumentum non esse ullius

momenti; cum enim disputamus de opinione aliqua, non ideò debemus illam judicare probabiliorē, quia sit tutior; siquidem prout supra diximus Tract. 1. potest opinio esse minus tuta, & tamen probabilior; cum igitur veritas nostræ sententiæ sit aliundè probabilius probata, quidquid sit de illâ majori utilitate; neque enim per hoc ponimus obicem illi, qui talem relationem, sive imperium charitatis adhibere voluerit ob majus meritum.

361. Adde, cum nostra sententia sit longè probabilior, & communior, falsò supponi, esse periculosam in praxi, licet opposita sit forsitan magis tuta; neque enim ex eo, quod sit tutior, præferenda est; alioqui deberet etiam præferri opinio ass. rens ad meritum condignum requiri actum charitatis valdè intensum, cum sit tutior, quam tamen supra rejecimus num. 322. Similiter cum tutius sit accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum contritione, quàm cum solâ attritione, possemus inde inferre, non esse tutum in praxi accedere cum solâ attritione, & dicere, probabilius esse requiri contritionem ad valorem Sacramenti, quàm quod attritio sufficiat, quod tamen non est dicendum.

362. Dixi licet opposita sit forsitan magis tuta, quia absolute potest dici magis periculosa, aut saltem minus utilis in praxi; siquidem cum sit difficilius actum charitatis elicere, potest quis ab aliis retardari, illosque omittere secum dicens: Actus illi soli nihil valebunt; ergo præstat eos omittere: quod est facis absonum, & maximum incommodum sequendum. Dices, eum debere tunc conari ad actum charitatis. Sed contra, quia cum actus ille sit valdè perfectus, non semper homo est ad illum benè dispositus; ac proinde cum non posset illum elicere, alios ut inutiles omitteret. Neque diffiteor melius, & salubrius esse, conari quemlibet ad actum charitatis eliciendum, quo augeatur meritum etiam aliarum virtutum per accessum actus charitatis ad illas.

363. Argues 7. Si actus virtutum moralium infusarum sunt meritorii de condigno gratiæ, & gloriæ absq; relatione charitatis, sequitur, quemlibet actum charitatis esse infinite meritorium, eique deberi præmium infinite intensum; sed hoc non est admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Probat sequela, ponamus actum unum ex infusa specie virtutum moralium infusarum, & alium ex ipsarum suprema specie, tunc sic argumentor: Inter actum supremum talium virtutum moralium, & actum charitatis mediant infinite species virtutum moralium inæquales inter se: Deinde actus infusæ speciei sunt meritorii de condigno, ut supponimus, medi gradus gratiæ, & gloriæ, actus sequentis speciei altioris debet mereri aliquid amplius, cum sit nobilior, sicque de aliis usque ad actum charitatis; ergo sicut actus charitatis excedit infinitos actus inferiores meritorios, ita ipse in se erit meritorius infinite, illique in præmium correspondebit gratia, & gloria infinite intensa.

364. Hoc argumentum fatetur esse difficile P. Arriaga cit. num. 24. cui varias solutiones adjungit, & rejicit. Resp. tamen primò hoc argumentum non ita esse specialiter contra nos, ut non etiam sit contra ipsos Adversarios, sive dicant, hujusmodi actus virtutum moralium infusarum esse meritorios ex relatione charitatis, adhuc enim admittunt, habere proprium suum meritum distinctum à merito actus charitatis, ut admittunt Doctores citati num. 350. sive dicant solum actum charitatis esse meritorium, ut docet Bannez 2. 2. quest. 24. art. 6. dub. 5.

Pate

365. Patet primum, nam si hujusmodi actus habent proprium meritum, dum imperantur, sive referuntur à charitate, & demus per charitatem imperari, seu referri supremam virtutem moralem, jam hæc tunc habebit præmium infinitè majus, quam alter actus inferior etiam imperatus, sive relatus à charitate, inter quem, & alterum superiorem interponi possunt infiniti; ergo etiam hæc habebit locum tota illa calculatio supra facta; ergo quod ipsi dixerint pro se, & nos dicemus.

366. Patet secundum, ponamus enim, me velle uno actu charitatis dare in eleemosynam dimidium unius aurei, talis actus meretur aliquid præmii: pone deinde me velle per alium actum dare aureum, sicque ascendendo usque ad actum charitatis, quo optarem, quantum est ex me, dare infinitas divitias, si illas haberem; ergo iste actus haberet meritum infinitè majus, quam haberet alter, quo solùm vellem dare dimidium aurei; ergo eadem hæc est difficultas. Neque dicas, hujusmodi actum non esse efficacem; siquidem in istis actibus absolute inefficacibus, efficacibus tamen, quantum est ex nostra parte, potest esse meritum.

367. Respondeo secundò cum *P. Ariag. cit. n. 25.* non semper crescere meritum juxta majorem perfectionem physicam objecti; sic enim rosa est physice paulò nobilior, quam lilium, & non idèò amor rosæ propter Deum erit magis meritorius, quam amor lilii; siquidem in ordine ad mores non quilibet excessus physicus habetur alicujus momenti; cum igitur objecta prædictarum virtutum sint inter se physice inæqualia, etsi infinita, totus ille excessus est purè physicus; sicque non auget meritum moraliter in ipsis actibus in infinitum. Confirmatur exemplo, nam si Angelus, & homo Deum ament amore v.g. intenso ut octo, amor Angeli erit physice nobilior, quam amor hominis; & tamen propter hanc majorem perfectionem physicam amor ille Angelicus non judicatur majoris meriti, si cætera sint paria, ut docet communis sententia; ergo &c.

368. Respondeo tertio, argumentum nihil valere juxta nostram sententiam asserentem, impossibile esse creaturam omnium summam, aut omnium infimam, ut cum communiore asseruimus in *Physic. tract. 3. d. 2. à n. 128. & à num. 173.* siquidem nulla est assignabilis creatura adeò suprema, aut infima, quæ non sit possibilis alia superior, aut inferior, ut satis probavimus locis proximè citatis. Admissa tamen possibilitate creaturæ aut omnium summæ, aut omnium infimæ, ut aliqui admittunt.

369. Respondeo quarto, excessum illum, sive augmentum meriti in actibus cujuslibet virtutis non esse arithmeticum, & per partes certas, sed solùm geometricum, & per partes incertas, ac proportionales, sicque nunquam ita augeri in infinitum, ut constituat infinitum certum, & categorematicum, sed syncategorematicum, & incertum. Undè si infima virtus sit perfecta ut unum, superior, quæ subsequitur, non erit perfecta ut duo, sicque de aliis in infinitum per gradus certos, talis enim excessus erit arithmeticus, ac proinde infinitus categorematicè in charitate; infinitum autem categorematicum etiam quoad intentionem implicat, ut diximus in *Phys. tract. 3. d. 2. n. 65.* Si igitur infima virtus sit perfecta ut unum, superior, quæ subsequitur, erit perfecta fortasse ut unum cum dimidio, & alia ut unum cum dimidio dimidii, & alia ut unum cum dimidio hujus ultimi dimidii, sicque solùm geometricè excedentur, ex quo non sequitur, quod aliqua virtus cæteras infinitas excedens sit infinita; alioqui Angelus, qui

excedit infinitas species, quæ inter ipsum, & hominem mediant, diceretur infinitè perfectus.

SECTIO XVII.

Quid dicendum de actibus virtutum moralium acquiritarum?

MACTENUS diximus, actus virtutum moralium infusarum esse condignè meritorios gratiæ & gloriæ essentialis; nunc sermo est, utrùm idem dicendum sit de actibus virtutum moralium acquiritarum? Advertes primò, quæstionem non procedere de merito extrinsecè, & denominativè proveniente ipsis actibus virtutum naturalium ab aliquo actu reflexo supernaturali illos referente ad finem supernaturalem; nam si actus externus naturalis, qualis est oratio vocalis, eleemosyna, jejunium, & similes, potest denominari meritorius à volitione interna supernaturali, prout supra diximus, à fortiori poterit actus ipse internus voluntatis, licet sit in se naturalissimus, dici meritorius denominativè ab actu supernaturali imperante, seu illum referente ad finem supernaturalem juxta ea, quæ supra diximus de actibus imperatis.

Advertes secundò, quæstionem tantum procedere de merito formali, & proprio ipsorum actuum condistincto à merito actus imperantis. Et in hoc sensu adhuc multiplices sunt circa hujusmodi actus difficultates: Prima, utrùm actus omninò naturalis de facto sit condignè meritorius vitæ æternæ? Secunda, utrùm actus naturales virtutum moralium acquiritarum, saltem in homine justo, sint condignè meritorii gratiæ, & gloriæ? Tertia, utrùm saltem de potentia Dei absoluta possint hujusmodi actus esse condignè meritorii vitæ æternæ, aut alicujus præmii supernaturalis? Quarta, utrùm saltem sint prout sic meritorii, si ab actu charitatis, vel alterius virtutis infusæ imperentur, seu referantur ad finem supernaturalem? Cum tamen prædictæ difficultates aliqua involvant definita de Fide contra Pelagianos, & Semipelagianos, eorumque sequaces, & fautores, ut clariùs procedamus, non abs re erit, quid hi senserint, & tenuerint, breviter explicare. Sit igitur:

Difficultas 1. Qualis nam fuerit in præsentia error Pelagii? De erroribus Pelagii egerunt *D. Aug. lib. de hæres. cap. 88. lib. 4. contr. duas Epist. Pelag. cap. 6. & lib. de Grat. Christ. cap. 3. 22. & 23. & lib. de Prædest. Sanctior. cap. 3. & Epist. 89. 90. 95. 101. 106. 107. & sæpe alibi. D. Hieron. Epist. ad Cresiphon. de errorib. Pelag. D. Prosper. Epist. ad Rufinum. Lyrimens. cap. 34. P. Soar. tomo 1. de Grat. prolog. 5. d. cap. 2. P. Molin. in Concord. d. 1. 6. & 15. P. Vasq. 1. part. d. 89. cap. 4. & d. 91. cap. 2. & 1. 2. d. 199. cap. 1. & d. 219. cap. 1. P. Ruiz. de Prædest. d. 5. sect. 2. P. Becan. tomo 1. sum. cap. 16. quest. 1. & 4. P. Tanner. 1. part. d. 3. quest. 4. dub. 3. P. Gualter. sæcul. 5. ad ann. 500. fol. 373. P. Valent. 1. 2. d. 8. quest. 1. punct. 5. P. Ripal. tomo 1. de Ente supernat. d. 15. sect. 2. & plures alii.*

Fuit autem Pelagius natione Britannus, professione Monachus, ut dicit *P. Soar. cit. cap. 2. ex D. Chrysost. Epist. 4. ad Olymp. ad finem.* qui circa annu Domini 400. priùs ad Orientem postea ad Occidentem in ipsâ Urbe Romanâ cum Caestio, & Juliano ejus discipulis, de quibus latè Baron. anno 411. num. 52. errorem suum seminavit, quem comprehendit *Faustus lib. 1. de Grat. Dei cap. 1. apud P. Soar. cit.*